IOHANNES DE TURRECREMATA
Süddeutscher Raum, 1477
Seite 36r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



minentur
Post hec omnia que fecit michi dominus Circuiui omnia
beneficia memorie commendando et potissime redemptionis
beneficium et ego non ingratus immolaui in ecclesia catho-
lica toto orbe diffusa hostiam ineffabilis laudis corde et
ope letabor in domino
Et ideo tu Audi domine vocem interiorem quam in
aures tuas forti intencione direxi dicens vnam peciy a
domino etc exaudi me domine ex tua clemencia pro vna et
misere mei
Tibi non hominibus aperui in corde meo solus audis de-
siderium meum. s. quod anima mea facta ad ymaginem tuam
exquesiuit te et non aliquid extra te primum nisi vultum
tuum presenciam visionis tue domine requiram huic inqui-
sicioni perseueranter instabo quia preciosius aliquid
non inuenio
Illa enim est summa felicitas et beatitudo omnium sanctorum
vt aut inueniam quod quero domine Non auertas
lumen gratie tue a me peccatore quia non est in manu
mea obtinere quod peto et non sinas me labi in peccatum propter
quod declines in ira a seruo tuo
Quia enim ego non sufficio te inuenire nisi tu adiuues
ideo precor Adiutor meus esto in hac uia ut ad hoc
perueniam nec derelinquas me cum ceperis adiuuare nec
despicias me quod ego mortalis te eternum audeo querere
quia tu es deus meus qui ad ymaginem tuam me creasti
et salutaris meus qui sanas plagas peccati mei frustra aut
creasti et recreasti si mortales despicis
Inde eciam non despicias me mortalem quia non mea pro-
pria a me commissa sed parentalis culpa est qua in hanc
mortalitatem descendi Quoniam pater meus adam